CONSIGLIO GENERALE

DI PUBBLICA ISTRUZIONE

N.104 Napoli 3 luglio 1858.

Vista la domanda del tipografo Giosuè Vernieri, con la quale ha chiesto di porre a stampa l'opera intitolata: *F. Ioann. de Carthagena, Homiliae Catholicae* etc. etc.

Visto il parere del Regio Revisore Monsignor F. Tommaso Salzano:

Si permette che detta opera si stampi; ma non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuto nel confronto esser l'impressione uniforme all'originale approvato.

Il Consult. di Stato Presidente provvis.
CAPOMAZZA
Il Segretario Generale
GIUSEPPE PIETROCOLA

COMMISSIONE ARCIVESCOVILE

PER LA REVISIONE DEI LIBRI

Nihil Obstat
P. IOSEPH M. PENNASILICO C. O.
C. Theol.

Imprimatur
Pel Deputato
LEOPOLDO RUGGIERO
Segret.

II. TITULUS

S. MARIA AB ARCU

Urbs illa, quae prius Luza vocabatur, in qua Iacob scalam vidit, et Dominum eidem innixum, Bethel postea appellata fuit, idest domus Dei: in visionis autem loco idem Iacob lapidem in titulum erexit, dixitque (*Gen.cap.* 28): *Quam terribilis est locus iste! Non est hic aliud, nisi domus Dei et porta coeli.* Si ergo ille locus, qui a Deo sua apparitione, miraculis et beneficiorum largitione illustratus fuit, et in quo specialiter coli et honorari voluit, adeo magnificatus fuit, ut nomen dederit civitati; quid mirum si arcus ille parietis, sub quo, vel e cuius regione Deiparae effigies depicta apparuit, quique etiam miraculis et beneficiorum largitione inclaruit, nomen dederit eidem iconi, quae *s. Maria ab arcu nuncupatur?* — Verba profecto patriarchae Iacob etiam huic arcui accommodari possunt: *Quam terribilis est locus iste! Non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta coeli.* Terribilis est enim ille locus, in quo *s. Maria ab arcu* in nolana dioecesi colitur, uti paulo inferius inspiciemus; nam Deus sacrilegos prophanatores illius iconis suae iracundiae flagellis perculit: terribilis, inquam, idest sacrum et religiosum horrorem et reverentiam ingerens, ob prodigia innumera, quae in illa *miraculorum officina* quotidie patrantur. Quis autem ignorat etiam, ex miraculis a Christo operatis saepe derivatum fuisse timorem quemdam et sacrum horrorem; quemadmodum accidit in sanatione paralytici, qui surrexit continuo, et abiit in domum suam? Observat autem Evangelista (*Matth.cap.* 9. *v.* 8): *Videntes autem turbae timuerunt* (*vid. a Lapide sup. praedict. loc.*). Vere igitur locus ille, in quo *s. Maria ab arcu* veneratur, terribilis est, ibique non est aliud, nisi domus Dei, et porta coeli; nempe Deipara Virgo, quae domus incarnati Verbi, et ianua coeli consalutatur.

Sic etiam Horeb mons Dei dicitur per prolepsin, eo quod ibi Dominus Moysi in rubo apparuerit, suamque gloriam revelaverit (*Exod. c.3.v.1*): *Moyses venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.*

Denique propheta Ezechiel, cum loqueretur de divisione terrae sanctae, et de civitate Ierusalem, dixit (*cap.48.v.ult.*): *Et nomen civitas ex illa die, Dominus ibidem.* — Nos hunc propheticum textum argumento nostro accommodantes, dicimus, nomen sacrae iconis Deiparae Virginis, ex illa die, qua vel sub arcu parietis, vel e regione alicuius arcus miraculis clarescere coepit, iure merito esse *s. Maria ab arcu.*

De hoc igitur titulo, quo a Christifidelibus benedicta Virgo salutatur, quique quantum ei gratus dulcisque sit, ex innumerarum gratiarum largitione patet, nos hanc provinciam suscipere decrevimus, ut pertractemus.

In antecessum historicam descriptionem cultus praecipuarum imaginum beatissimae Virginis *ab arcu* exponemus. Deinde vero, quoniam vox *arcus* multifariam accipitur, nempe 1. pro iride: 2. pro instrumento, quod intento nervo incurvatur et remittitur ad iaciendas sagittas: 3. pro structura aedificii in modum iridis curvata: 4. pro plectro, quo ex aliquibus instrumentis musicis fidicularibus sonus emittitur: 5. demum pro arcu triumphali; idcirco nos demonstrare adgredimur analogicas rationes, ob quas Deipara Virgo hoc titulo *ab arcu* condecorari meretur.

Historica descriptio cultus sacrae iconis Deiparae ab arcu *in nolana dioecesi; et alterius imaginis, quae sub eadem denominatione colitur in archidioecesi neapolitana, in suburbano* Miani *nuncupato; ac tandem effigiei beatissimae Virginis* ab arcu *in aquilana dioecesi, in oppido, cui nomen* Civita-Retenga.

E regione Vesevi montis in neapolitano regno, in dioecesi nolana, in oppido, cui nomen a diva Anastasia, iam a decimoquinto ab operata redemptione saeculo aderat parva aedicula, in cuius pariete depicta erat Deiparae imago, Divinum suum Filium inter ulnas complectens. Arcus ianuae, qui ex obverso imaginis erectus erat, nomen dedit eidem sacrae iconi, quae propterea *s. Maria ab arcu* nuncupata fuit (vide opus, cui titulus: *Storia de'Santuarii più celebri di Maria SS. sparsi nel mondo cristiano*, del Preposto Antonio Riccardi. — Napoli 1847, pe' tipi della Biblioteca Cattolica, tom. III, pag. 23; necnon opus, cui titulus: *Zodiaco Mariano* del padre Serafino Montorio). Accidit autem, ut anno 1550, die paschale festum insequente, memoria de more celebraretur eiusdem Deiparae *ab arcu.* Dum autem devota plebs sacram iconem venerabatur, e foribus aediculae duo iuvenes clavae lusoriae (giuoco di *maglio ferrato*) operam navare coeperunt. Interea alter collusorum, cum socio succumberet in ludo, clavam temerario et sacrilego ausu contra iconem Dei-

parae iacere non fuit veritus: at illico vultus sacrae iconis intumuit, et sanguis prodigiosus effluxit. Verum sacrilega manus iacientis clavam extemplo exaruit, et erecta algidaque tamdiu permansit, donec, toto spectante populo, impius ille in ipso patrati sceleris loco in patibulo suspensus poenas sacrilegii luit. Mirandum et multiplex huiusmodi prodigium devotionem populi excitavit, et aere collecto aedes grandior exstructa fuit, et in ea sacra fuit collocata icon Deiparae *ab arcu*. Verum cum fidelium pietas sensim et sine sensu in dies languesceret, aliud miraculum frigescentem devotionem veluti novis facibus incendit. Anno siquidem 1590, feria secunda post Pascha resurrectionis, quaedam mulier, cui nomen *Aurelia del Prete*, eiusdem oppidi sanctae Anastasiae, sacram aediculam cum suo coniuge veneratura petiit: cumque pietatis officiis persolutis ad suam domum rediret, pede inconsulto in foveam decidit; et in ipso lapsu maledixit iconi beatae Virginis, eiusque exstructori. Quod cum audisset vir, blasphemam uxorem acriter increpavit, ipsique veluti vaticinatus fuit, in poenam blasphemiae utroque pede orbari posse. Veritatem praedictionis eventus ipse probavit: anno etenim insequente, eodem festo recurrente, pes blasphemae mulieris cancere affectus, sine sanguinis effusione decidit; et subsequente die altero etiam pede orbata remansit. Qui pedes cum clanculum sepulturae mandarentur, numquam fieri potuit, ut e cophino, in quo repositi fuerant, divellerentur. Quod ut ad populi aures pervenit, in memoriam patrati facinoris, et miraculi inde sequuti, pedes e sepulcro educti, et in cavea ferrea inclusi, collocati fuerunt ante Deiparae aediculam. Ne vero prodigii fama obliteraretur, reverendissimus Dominus Fabricius Gallo, qui tunc temporis nolanam regebat ecclesiam, instrumentum iuridice conficiendum curavit, attestatione recepta ipsius mulieris (quae postea resipuit), aliorumque fide dignorum testium, necnon medicorum. Huius memorandi prodigii rumor undequaque populos ad sacram iconem venerandam accivit, et novis in dies receptis beneficiis a Deipara, ex stipe sponte oblata, biennii decursu ecclesia a fundamentis erecta fuit, quae feliciter absoluta, anno 1595 fratribus Ordinis Praedicatorum demandata fuit, et ad haec usque tempora inter celebriora regni neapolitani sanctuaria adnumeratur.—

Praeter iconem, de qua superius memoravimus, alia imago Deiparae, quae etiam *ab arcu* salutatur, prostat in suburbano *Miani* neapolitanae archi-dioecesis (vide opus, cui titulus: *Zodiaco Mariano* a p. Seraphino Montorio exaratum; necnon aliud opusculum, cui titulus: *Cenno storico della taumaturga effigie di s. Maria dell'Arco, che si venera nella Chiesa de' pp. Minori Riformati in Miano*). Huiusmodi sacra icon anno 1600 iam depicta erat sub quodam arcu parietis. Accidit autem ut quadam die vir nomine Ioseph, qui secus arcum memoratum mendicans iacebat, quique utriusque pedis usu carebat, ab invisibili persona vocaretur, quae sic ei loquebatur: *Surge Ioseph:* quod ubi bis, terque repeteretur, mendicus plenus fide revera surrexit, et veluti sanus ambulavit. Hoc miraculum ubi prodiit, populus sacram iconem antea incultam colere ferventer coepit, et aere collecto, prius parvam aediculam, deinde crescentibus in dies signis atque prodigiis ope Deiparae *ab arcu* impetratis, grandiorem ecclesiam a fundamentis erexit, quae post varias rerum temporumque vices, prius fratribus Ordinis Praedicatorum, deinde fratribus Minoribus Reformatae familiae custodienda tradita fuit. —

Demum alia imago *sanctae Mariae ab arcu* colitur in oppido aquilanae dioecesis, cui nomen *Civita-Retenga*. Memorata effigies depicta fuit in quodam stabulo, et ante illam stabularius solebat nocturno tempore lampadem accendere. Verum anno 1695, recurrente die nona Septembris, quae tunc in feria sexta incidit, circa solis occasum lampas praedicta visa fuit absque humana opera collucescere. Huiusmodi prodigium iterum, atque tertio, etiam feria sexta recurrente insequentium hebdomadarum renovatum fuit, multis testibus adstantibus; et insuper non pauci infirmi oleo eiusdem lampadis inuncti extemplo convaluere. Inde factum fuit, ut stabulum memoratum in ecclesiam converteretur, quae ad haec usque tempora *officina* dici potest *miraculorum s. Mariae ab arcu*; quemadmodum etiam aliae superius memoratae (vide memoratum opus, cui titulus *Zodiaco Mariano* p. Seraphini Montorio).

I.

Deipara Virgo iure salutatur s. Maria ab arcu *relate ad arcum coelestem, sive iridem.*

Iris etiam *arcus* coelestis nuncupatur: vox autem *iris* ex Hebraeo, sive Chaldaico *Ir* provenit, et idem est ac *vigil*, seu *legatus*, seu *angelus* (*vid. Calmet Dictionar. S. Script. vocab. Iris*).—Quod autem beatissima Virgo iridi merito assimilari possit, sic probo.

1. In libro Geneseos (*c.9.ver.13*) narratur, quod egresso Noe de arca, Deus in argumentum suae reconciliationis cum hominibus foedus cum eis iniit, signumque huius foederis arcum constituit: *Hoc signum foederis* (en verba sacri textus), *quod do inter me et vos... Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me, et inter terram. Cumque obduxero nubibus coelum, apparebit arcus meus in nubibus etc.* — Arcus hic profecto nihil aliud est, nisi iris, ut omnes patres unanimiter docent, uno excepto d. Ambrosio, qui more suo (*in libro de arca et Noe cap.* 27), non secundum sensum literalem, sed secundum sensum tropologicum hunc textum interpretatur. — Iris autem generatur per reverberationem radiorum solis in nube rorida.

2. His praelibatis, nos cum divo Bonaventura (*in lib. de laud. Virg. n.* 5) fidenter adfirmamus, quod Deipara Virgo est *Arcus foederis divini, et reconciliationis nobiscum*. Petrus autem Berchorius (*in suo rep.Mor.ad tit.Arcus*) sic loquitur: *Per arcum coelestem multis coloribus decorum intelligitur maxime beata Virgo.* Re quidem vera arcus coelestis, seu iris, uti superius innuimus, generatur per reverberationem radiorum solis in nube rorida: verum nubi homines non semel in sacris eloquiis comparantur, sed sub diverso respectu. Propheta Osee (*c.13.v.2*) Israelitas, qui vitulos adorarunt, comparat nubi matutinae: ait enim: *Fecerunt sibi conflatile de argento suo, quasi similitudinem idolorum:... Idcirco erunt quasi nubes matutina etc.* — In hoc autem loco Israelitae nubi illi comparantur, quae matutino tempore a sole oriente facile disperditur. — Insuper divus Iudas Apostolus in sua canonica epistola (*v.12*) impios comparat nubibus sine aqua: *Hi sunt*, en verba, *in epulis suis maculae, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quae a ventis circumferuntur.* Heic autem Apostolus impios non comparat nubibus foecundis, sed, ut ita dicam, fatuis, copiosam pluviam promittentibus, sed nullam revera praestantibus; uti docent divus Irenaeus (*lib. 1. cap. 5*), et Vincentius Lirinensis (*contr.prof.haer. nov.*). — Contra vero Isaias (*cap. 60. vers. 8*) dicit: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbae ad fenestras suas?* Haec autem verba a d. Augustino (*in Psal.46. v. 4*), a d. Gregorio (*hom. 18. in Ezech.*), a Ruperto Abbate, et ab aliis, de Apostolis, et praedicatoribus intelliguntur, qui vere uti nubes undequaque terram circumcursarunt, quique vere uti nubes volare visi sunt. Quamvis autem impii homines comparari possint vel nubi fatuae, vel nubi pluviam non afferenti, vel nubi quae matutino tempore sole oriente dissipatur; tamen cum divini verbi praecones, aliique sive sancti, sive hominibus beneficia largientes, nubi possint assimilari, sed foecundae, nihil vetat, quinimo multa argumenta suadent, Deiparam nubi posse comparari. Re quidem vera in Exodo (*cap. 16. v. 10*) legitur: *Gloria Domini apparuit in nube.* Si vero haec gloria se prodiit per angelum, qui, uti advertit a Lapide (*sup. hunc loc.*), in columna nubis in medio castrorum quiescebat: quanto magis dicendum est apparuisse hanc gloriam Domini, cum *magni consilii Angelus* in nube uteri virginalis apparuit? — Insuper in 3. libro Regum (*cap.8. v.* 12) leguntur haec verba: *Dominus dixit, ut habitaret in nebula.* Scio heic Salomonem loqui de illa nebula, quae implevit templum Hierosolymitanum, cum dedicatum fuit: verum quis vetat per hanc nebulam Deiparam significari?—De ipsius virginali utero profecto dici potest, quod fuerit thronus purissimus incarnati Verbi, iuxta illud Ecclesiastici (*c.24.v.7*): *Thronus meus in columna nubis.*—Mystice haec nubes profecto alia non fuit, nisi Deipara. Audiatur s. Epiphanius, qui (*serm. de laud. Virg.*) inquit: *Ave nubes columnae similis, quae Deum habes, qui populum deduxit per desertum.* Andreas Cretensis (*orat. 12. de Deip.*) subiungit: *O nubes tota lucida, et mons umbrosus.* Demum divus Bonaventura (*in Spec. b. Mar. Virg. cap.* 3) ait: *Maria est nobis columna nubis, iuxta illud Psalmi: Deduxit eos in nube; quia tanquam nubes protegit ab aestu divinae indignationis, et ab aestu diabolicae tentationis, sicut dicitur in Psalmo: Expandit nubem etc.* De ipsamet Deipara intelligi possunt illa Isaiae verba (*cap. 19. vers.* 1): *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Aegyptum, et commovebuntur simulacra Aegypti a facie eius.* Porro d. Hieronymus, Haymo, Hugo, et Lyranus, cum s. Athanasio, Augustino, Theodoreto, et Eusebio allegorice exponunt memorata verba de Christo inter ulnas beatissimae Virginis, veluti super nubem levem, in Aegyptum invecto (*vid. Tirin. super hunc loc.*). Denique, ut cetera mittamus, de Deipara Virgine, mystica nube, validice Isaias loquebatur, cum dicebat (*cap.45.vers.8*): *Nubes pluant iustum*, uti docet s. Augustinus (*lib.5. de haer. cap.* 4): et illa nubecula, quam ex summitate montis Carmeli vidit Elias ascendere de mari (3. *Reg. cap.* 18. *v.* 44), profecto Deiparam Virginem adumbrabat: et idcirco Bernardinus de Busto (*in suo Mar. part. 9. serm. 2. assim.* 10) dicit, Mariam comparari nubi, quia sicut nubes efformatur ex vaporibus, et a terra elevatur, ut postea solvatur in pluviam; ita benedicta Virgo, quae in terris plena fuit vaporibus, aquisque gratiarum, deinde a terrenis elevata, soluta est in pluviam misericordiarum. —Verum super hanc nubem sol reverberavit radios suae lucis, et iris, seu arcus coelestis in ea se prodiit; sol inquam, sive ipse Deus, iuxta Malachiam, qui ait (*c.4.v.2*): *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiae.* Huiusmodi vero Sol super praedictam mysticam nubem reverberans et reflectens radios suae gratiae et gloriae, arcum seu iridem efformavit.

3. Arcus positus fuit in nubibus in signum foederis et reconciliationis Dei cum hominibus. —Divus Augustinus (*in lib.contr.Faust*) docet, iridem esse Christum, de quo ait Apostolus (*ad Coloss.1.v.20*): *Pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in coelis, sive quae in terris sunt:* et uti idem Apostolus loquitur (*ad Ephes.c.2. v.14*): *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Verum etiam b. Virgo dici potest arcus pacis et iris reconciliationis Dei cum hominibus, faciens *utraque unum:* per ipsam namque, uti advertit Bernardinus de Busto (*in Marial. part. 4. serm. 7. §. 7*), angeli in Christi nativitate cecinerunt: *In terra pax hominibus bonae voluntatis:* per ipsam, uti loquitur Apostolus (*ad Tit.* 2): *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei:* idcirco a Patribus nuncupatur pacificatrix universalis, mediatrix Dei et hominum, columba viridem ramum olivae afferens; et ut ad nostrum argumentum accedamus, vocatur *iris* et *arcus* coelestis, uti s. Bonaventura ipsam appellat (*de laud. Virg.*), qui ait: *Ipsa est arcus foederis divini et reconciliationis nobiscum.*

4. Notandum est cum a Lapide (*super cap. 9. Genes.*), Deum iridem, seu arcum vocasse *suum: Arcum meum ponam in nubibus.* Quare non dicitur etiam sol *meus*, luna *mea*, stellae *meae?* Quare aliis creaturis haud facile adiicitur haec vox *meum?* Nos dicere possumus, arcum a Deo dictum esse *suum*, eo quod adumbrabat Deiparam, quae tota fuit *sua*. Propterea igitur in sacro Canticorum libro toties Dilectus de sua Sponsa (per quam Maria pro-

cul dubio intelligitur) repetit vocem *mea:* sic (*cap.* 2. *vers.* 10) inquit: *Surge propera, amica mea, columba mea, formosa mea:* et paulo inferius (*cap.* 5. *vers.* 2): *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* De ceteris sanctis Adae filiis Deus dicere nequit quod fuerint semper *sui;* nam aliquando fuerunt diaboli, sive ad breve tempus, uti Ieremias, et Ioannes Baptista, sive ad longum tempus, uti bonus Latro. Solum Deiparam Virginem Deus semper et undequaque nuncupare potest *suam; suam* inquam a primo instanti conceptionis eiusdem, cum anima eius ab originali culpa, singulari privilegio, servata fuit immunis; *suam* in toto vitae decursu, cum ne levi quidem macula corrupta fuit; *suam* in vita; *suam* in morte; *suam* in tempore; *suam* in aeternitate: ideoque optime de ea usurpari possunt praedicta verba Geneseos: *Arcum meum ponam in nubibus.*

5. Aliud argumentum exsurgit ex verbis ipsis Geneseos pro convenientia arcus coelestis cum Deipara Virgine. Promisit enim Deus Noe signum foederis in tempore futuro, dixitque: *Ponam.* — Quid dicit Dominus? Num vera erit Alcuini sententia, dicentis, ante diluvium arcum seu iridem nunquam in coelo apparuisse?... Minime quidem: nam etiam ante diluvium solis radii per reverberationem in nube rorida gignere potuerunt iridem. Quomodo ergo ait Deus in futuro: *Ponam arcum meum;* non autem *posui* in praeterito? — Scio equidem, in Hebraeo praeteritum *Natatti*, idest *posui*, idem esse ac futurum *ponam.* Scio insuper vocem *ponam* in allegato textu non intelligi debere absolute, ita ut arcus seu iris incipiat exsistere, sed ut incipiat esse signum foederis. Haec scio, quae hauriri possunt a doctissimo a Lapide (*sup.* 9. *cap. Genes.*). Licet autem divus Ambrosius (*in lib. de Noe et arc.*) symbolice de futuro Messia, qui velut iris pacis adventurus erat in mundum, verbum *ponam* interpretetur: licet Rupertus abbas allegorice iridem futuram intelligat sive de futura evangelica lege, sive de instituendo baptismo, sive de Verbo humanando; nihil tamen dicere vetat, Deum, quando promisit iridem in futuro: *Ponam arcum meum*, id intellexisse de Deipara, quae in tempore tunc futuro splendere debebat in terra.

6. Arcus coelestis inter nubes apparens pulcherrimus est, et recreat exhilaratque omnes ipsum aspicientes. Adumbrat autem Deiparam Virginem, quae in Canticis Canticorum (*cap.* 6. *v.* 9) dicitur: *Pulchra ut luna.* Unde de iride dicitur in Ecclesiastico (*cap.*43. *v.* 12): *Vide arcum, et benedic eum qui fecit illum: valde speciosus est in splendore eius... imperio suo acceleravit nivem... propterea aperti sunt thesauri.* Quantum autem memorata verba ad unguem quadrent Deiparae Virgini, mystico arcui, quis sanae mentis non videt?

7. In iride, seu arcu coelesti sunt secundum aliquos quatuor colores, nempe color viridis, color coeruleus, color candidus, et color rubeus. Huiusmodi autem colores designare possunt vel 1. spem, 2. amorem coelestium bonorum, 3. puritatem, et 4. charitatem; vel quatuor virtutes cardinales, quae in Deipara, arcu mystico, mirifice splendent.—Iuxta alios vero in iride septem colores observantur, qui vel septem Spiritus sancti dona Deiparae superabundanter collata significant, vel septem virtutes praecipuas, nempe tres theologicas, et quatuor cardinales. Iure merito igitur beatissima Virgo *ab arcu* appellatur.

8. Petrus Berchorius (*in suo repert. Moral.*) observat, quod sicut arcus coelestis seu iris a coelo in terram videtur descendere; ita Deipara Virgo, quae *ab arcu* nuncupatur, visa fuit a coelo in terris descendisse: licet enim Adae fuerit filia quoad naturam, eius tamen culpae fuit omnino expers; et tantae extitit puritatis, talemque fulgorem ex suo virgineo corpore emisit, ut divus Dionysius Areopagita, qui ipsam viventem aspexit, dicere non sit veritus (*in epist. ad s. Ioann. cit. ab a Lapid. in c.*7. *Cant. v.*7), quod ni fides illi aliter docuisset, ipse proculdubio Deiparam pro Dea accepisset.—Arcus autem coelestis e coelo velut ad terras descendens, coelum cum terra videtur coniungere: at potiori iure id de Deipara Virgine debet adfirmari, quae cum Christum genuit, ima summis sociavit.

9. Insuper si Pontifex veteris testamenti Simon, Oniae filius, nuncupari meruit (*Eccl. c.* 40. *v.* 8): *Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae;* quanto magis Deipara Virgo dici debet: *Quasi arcus refulgens?* Petrus Berchorius (*in supradict. Repert. Mor. ad voc.* arcus) dicit, arcum fuisse Christum, qui refulsit in visceribus Mariae, quasi *inter nebulas gloriae.* — *Refulgens* inquit; et ad rem in Actibus Apostolorum (*c.*12) habetur: *Et lumen refulsit in habitaculo carceris:* carcer enim intelligi potest domus pudici sinus, in qua Verbi divinitas cum humanitate hypostatice coniuncta, velut in carcerem inclusa fuit per novem menses: in qua quidem domo lumen omnium perfectionum eminenter supra omnes creaturas, sive angelicas, sive humanas resplenduit. — Haec ex Berchorii interpretatione.—Nos vero convenientius ad nostrum argumentum adfirmamus, nebulas gloriae esse angelos et sanctos. Beata autem Virgo refulsit super omnes creaturas sive angelicas sive humanas, *quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae.*

10. Divus Ioannes in sua Apocalypsi (*c.* 4. *v.* 3) fatetur, se in spiritu raptum fuisse in coelum, et haec vidisse: *Et vidi sedem, et supra sedem sedens .. et iris erat in circuitu sedis.* Hanc sedem porro thronum esse Dei nemo negabit. Supra sedem sedens vel intelligitur Deus, idest tota Trinitas, uti docent Richardus, Viegas, Ribera etc. (*sup. hunc. loc.*); vel intelligitur Christus, uti docet de Busto (*par.* 3. *serm.* 2). Per iridem denique sumi potest Divina misericordia, quae thronum Dei circumdat, uti Richardus cum aliis supra memoratis expositoribus docet: vel melius beatissima Virgo, quae velut arcus coelestis misericordiae et clementiae semper in circuitu throni Filii sui Iesu Christi adstat, ostendens illi pectus et ubera, ipsumque ad reconciliationem cum hominibus alliciens, et dulciter impellens. — Abs re tandem non erit in hoc loco

notare, quod quando Christus in virginali utero Deiparae per novem menses sedere dignatus est, ipsa beatissima Virgo *iris* fuit *in circuitu sedis*, et iuxta Ieremiam (*cap.*31. *v.* 22), *foemina*, quae circumdedit *virum.*

11. Idem Ioannes in sua Apocalypsi (*cap.* 10. *vers.* 1) se vidisse testatur *angelum fortem descendentem de coelo amictum nube, et iris in capite eius, et habebat in manu sua libellum apertum.* Per hunc angelum fortem Christum sumi nemo negabit, qui *magni consilii Angelus* antonomastice dicitur; de quo Malachias (*cap.* 3. *v.* 1) vaticinatus est: *Statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis;* quique a divo Paulo (*ep. ad Hebr. cap.* 1. *v.* 4) dicitur: *Tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit.* —Verum hic magni consilii Angelus descendit de coelo, et amictus fuit nube humanitatis. *Iris* autem erat in capite eius. Per hanc iridem Maria designari potest, quae veluti in capite Christi fuit, utpote quae eius Mater: *Et habebat in manu sua libellum apertum:* puta Evangelium, quod Christus venit mundo nunciare.

12. Denique, uti superius innuimus, vox *Iris*, seu arcus coelestis, ex Hebraeo, sive Chaldaico *Ir* provenit, et denotat *vigil, angelus, legatus* (*vid. Calmet Dictionar. s. Script. ad vocab.* Iris). Iam autem Deiparae Virgini sub praedictis significationibus convenit denominari *Iris*, seu arcus coelestis.

Deus ipse dicitur *vigil* (*Ps.*120. *v.* 3): *Non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel:* vigil enim est ille, qui non obruitur somno. Deipara autem *vigil* denominari potest; nam relate ad Deum illa Isaiae verba assumere potest (*cap.*26. *v.*9): *Anima mea desideravit te in nocte* (idest, ante incarnationem, uti explicat Theodoretus videndus apud a Lapide *sup. hunc loc.*), *sed et spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te.* Non solum autem relate ad Deum, sed etiam quoad homines sub suo patrocinio commorantes bene ei quadrant verba Canticorum (*c.*5. *v.*2): *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Vigilat, inquam, ad exterminandos et profligandos nostros hostes, ne nobis noceant. Animalia vidit Ioannes (*Apoc.* 4. *v.* 6) *plena oculis ante et retro:* sed Deipara iure a divo Bernardo (*sup. Miss.*) appellatur *multocula;* et sicuti Holofernem dormientem vigil Iudith capite truncavit (*Iudith c.*13): sicut Sisaram dormientem vigil Iahel confodit (*Iudic. c.*4): sicut denique (valeat haec comparatio solum quoad hoc) sicut Samsonem dormientem vigil Dalila totondit, et fortitudine spoliavit (*Iudic. cap.* 16); ita benedicta Virgo *vigil* hostes nostros profligat. Nec ad hoc solum ipsa vigilat, sed etiam ut nobis quoquo modo iuvet: unde illa Isaiae verba potest assumere (*c.*21. *v.*8): *Super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem ac noctem.*

Quod Deipara sit *iris*, quod explicatur *angelus*, non indiget demonstratione, cum ipsa ab Ecclesia salutetur (*in litan. Lauret.*) *Angelorum Regina.* Ipsa angelos puritate superavit: eadem fuit veluti Angelus Filii sui custos: et si adsunt angeli custodes hominum, locorum, civitatum, et regnorum; Deipara est *Angelus* custos totius Ecclesiae: insuper adest hierarchia angelorum, qui dicuntur throni: sed Deiparae uterus virginalis fuit verus thronus honoris Christi: unde ei aptari possunt illa, quae leguntur in libro 3. Regum (*cap.* 3. *v.* 6): *Custodisti ei misericordiam tuam grandem, et dedisti ei Filium sedentem super thronum eius.* Qui velit observare quomodo proprietates omnium angelicarum hierarchiarum conveniant Deiparae, legat opus, cui titulus: *Mariale Virginis Bernardini de Busto* (*par. XI. ser.* 2. *p.* 4. *lit. R. etc.*)

Denique Deipara est *iris*, q. d. *legatus.*—Legatus est persona intermedia, quae negotia pacis tractare solet. Verum nemo legatus facilius rem ad desideratum finem trahit, quomodo mulier sapiens. Pro mille argumentis valeat illud, quod in 2. libro Regum legitur (*c.*14. *v.*2), cum nempe Ioab misit Thecuam, et tulit inde mulierem sapientem, ut iret ad David, animumque eius placaret erga Absalom. Benedicta autem Virgo muliere Thecuite sapientior, a Deo legata est et missa ad homines, et ab hominibus legatur ad Deum, ut pacis negotia tractet.—Bene igitur sub quocumque respectu Deipara dici potest *Iris*, seu *arcus coelestis.*

II.

Deipara Virgo iure salutatur s. Maria ab arcu, *relate ad arcum seu instrumentum, quod intento nervo incurvatur et remittitur ad iaciendas sagittas.*

Priscis temporibus deerant tormenta bellica, et ballistae igneae: pugnabatur autem hasta, clypeo, et praecipue arcu. Hic autem arcus instrumentum erat, quod intento nervo incurvabatur et remittebatur ad iaciendas sagittas (*vid. Forcellin. ad vocab.* Arcus). Etiam praesenti tempore arcus aliquando in usu est, et efformari solet ex ligno flexibili et curvo, cuius extremitates, sive cornua ligantur chorda, quae arcum ipsum magis minusve stringat: iacula autem, seu sagittae chordae eidem aptantur, ita ut arcus plus minusve incurvetur: sed ex arcu nimis violenter inflexo, relaxata chorda, sagittae facilius et violentius iaciuntur. — His praenotatis, quoniam hic metaphoricus arcus considerari potest 1. in manu Dei. 2. in manu Mariae. 3. in manu diaboli. 4. in manu hominum; hinc quomodo sub memoratis respectibus Maria *ab arcu* nominetur, videbimus.

1. In manu Dei. — Iacob morti proximus, cum dilecto filio suo Ioseph benedicere vellet, sic ei affatus fuit (*Genes. cap.* 48. *vers.*21): *En ego morior .. Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio et arcu meo etc.*—Antiquum illum Iosephum Iacobi filium typum fuisse nostri patriarchae Iosephi Sponsi Deiparae, nemo non videt. Quemadmodum autem antiquo illi Iosepho *partem unam* dedit pater suus extra fratres suos; sic et Deus Pater omnium nostro Patriarchae dedit *partem unam* extra omnes alios Patriarchas fratres suos. Quaenam autem fuit haec pars data nostro Iosepho? Profecto Deipara Virgo,

Reliqui patriarchae habuerunt partem tantum adumbrativam illius, sive per arcam, veluti Noe (*Genes.c.*7), sive per scalam, veluti Iacob (*Gen.c.*28) etc. At noster Ioseph habuit partem extra fratres suos, nempe Deiparam uti sponsam in virginitate realiter possidendi. — Verum notatu dignum est, morientem Iacobum dixisse Ioseph, se illam partem (*haereditatis*) tulisse de manu Amorrhaei in gladio et arcu suo. Quomodo autem dici potest, praedium illum Sichimiticum acquisitum fuisse a Iacobo gladio et arcu, cum constet ex Genesi (*c.* 23.*v.*19), et ex libro Iosue (*c.ult. v.* 34), emptum fuisse ab ipso Iacob pretio centum agnorum? Scio quod dicunt a Lapide, aliique expositores, nempe, quod Iacob primo emit hunc agrum; sed post stragem Sichimitis illatam a Simeone et Levi, metu ne Chananaei factum ulciscerentur, agro excesserat: tunc autem praedium invaserunt Amorrhaei vicini, quos postea Iacob ipse vi et armis expulit, sibique postliminio vindicavit. Haec scio: sed si Propheta Michaeas civitatem Sion agro comparat: ait enim (*c.*6.*v.*12): *Sion quasi ager arabitur*, nemo vetat cum doctissimo Carthagena (*lib.*4. *hom.* 13) per hunc agrum beatissimam Virginem intelligere; in quo agro Spiritus sanctus semen effudit omnium gratiarum, quarum creatura incapax non erat; quemque mysticum agrum per singulare privilegium, et anticipatam redemptionem tulit de manu Amorrhaei infernalis in gladio et *arcu* suo. Adhaec dici potest, Deiparam *ab aeterno et ex antiquis* semper a Deo possessam fuisse, in cuius archetypa divina mente iam sanctificata erat. Per Adae vero peccatum fuit in mundo immanissima clades, illa Amorrhaeorum longe deterior. Deus autem partem hanc, quam Iosepho tradidit, nempe beatissimam Virginem, tulit *de manu Amorrhaei in gladio et arcu suo*, non quatenus Deipara in illa clade inclusa fuerit, sed quatenus Deus ipsam vindicaverit gladio et *arcu* anticipatae et praeventivae redemptionis, ne in illa clade includeretur. Abs re heic non erit observare, quod cum gladius feriat prope, arcus vero feriat etiam a longe; accommodando Deiparae supradictum textum, *quam tuli de manu Amorrhaei in gladio et arcu*, hoc intelligi potest eo sensu, quod non solum in primo instanti conceptionis eiusdem Deus gladio suae omnipotentiae vulneravit diabolum, ne ipsam labe originalis culpae inficeret; verum etiam a longe, scilicet immediate post Adamiticam culpam, arcu eiusdem omnipotentiae a diabolo ipso tulit illis verbis (*Gen.cap.* 3.*v.* 15): *Inimicitias ponam inter te et mulierem... Ipsa conteret caput tuum.* — Deus igitur in gladio et *arcu* suo Deiparam de manu Amorrhaei infernalis eripuit.

2. Evangelista Ioannes in insula Patmos in spiritu haec se vidisse testatur (*Apoc.c.*6.*v.*2): *Et vidi, et ecce equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est illi corona, et exivit vincens ut vinceret.* — Qui super equum sedebat, profecto Christus est. Ipse autem habebat arcum: quem arcum? Arcum Crucis, arcum Evangelii. Verum ipse Christus hoc arcu pugnavit, *et exivit vincens ut vinceret.* Pugnavit, et primam victoriam quam *arcu* crucis suae per anticipatam redemptionem tulit, pro Matre sua tulit.

3. Quemadmodum arcus, quamvis sit lignum durum et siccum, mediante tamen chorda contrahitur, inclinatur et flectitur; ita arcus Divinae iustitiae, licet ob hominum culpam effectus sit durus; nunc autem per chordam intercessionis Deiparae inclinatur et flectitur erga homines, non ut eos puniat sagittis suae iracundiae, sed ut feriat iaculo suae dilectionis.

4. David (*in Ps.*59) ait: *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus, ut liberentur dilecti tui.* De qua significatione loquitur heic Regius Psaltes? Hieronymus *significationem* legit *signum*: Chaldaeus legit *vexillum*. *Signum* autem intelligi potest illud, de quo legitur in Apocalypsi (*c.*12.*v.*1): *Signum magnum apparuit in coelo. Mulier amicta sole, et in capite eius corona stellarum duodecim.* Haec autem *Mulier*, sive *Signum*, a divo Bernardo (*ser. sup. Sign.magn.*); a divo Augustino (*lib.*4.*de Symb. ad cathec.*), aliisque, per Deiparam Virginem accipitur. Igitur Deipara ipsa *signum*, seu *vexillum* est fidelibus Deum metuentibus, *ut fugiant a facie arcus* divinae indignationis, utque liberentur dilecti ab ipsamet benedicta Virgine.

Arcus in manu Deiparae. — 1. Memoratu digna sunt verba illa Davidis (2 *Reg. cap.* 22. *v.*34), quibus postquam teterrimum gigantem Goliath exterminavit, et ipse ab hostibus suis liberatus fuit, in hoc canticum exiliit: *Deus qui accinxit me fortitudine, et complanavit perfectam viam meam; coaequans pedes meos cervis, et super excelsa mea statuens me. Docens manus meas ad praelium, et* (nota verba) *componens quasi arcum aereum brachia mea. Dedisti mihi clypeum salutis tuae.* — Quam bene haec verba resonare possunt in ore Deiparae! Videtur profecto David, melius quam de sua persona, de sanctissima Virgine spiritu prophetico esse locutum. Illam enim Deus accinxit fortitudine, ita ut *mulier fortis* antonomastice vocari potuerit. Illius viam perfectam a primo suae conceptionis instanti Deus complanavit. Pedes ipsius cervis coaequati fuere ob velocitatem cursus in via perfectionis; ipsaque super excelsa constituta fuit. Manus suae ad praelium edoctae, et brachia eius tamquam *arcum aereum* composita fuere. — Alibi idem David (*in Psal.*17 *v.* 35) fere in eadem verba erumpit, quae etiam a Deipara usurpari possunt: *Qui docet manus meas ad praelium, et posuisti ut arcum aereum brachia mea.*

2. In Isaia propheta (*c.*5. *v.*26) hoc vaticinium legitur: *Et elevabit signum in nationibus ... Sagittae eius acutae, et omnes arcus eius extenti.* Quicumque sit germanus sensus huius prophetiae, nobis interdici non debet illius verba ad argumentum nostrum sic accommodare. — Per *signum* elevatum a Deo in nationibus intelligi potest Deipara Virgo, cui aptantur proculdubio illa verba (*Apoc.c.* 12. *v.*1): *Signum magnum apparuit in coelo. Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.* Huius Mulieris sagittae acutae sunt; ipsa namque est Virgo potens (*Eccl.in litan. laur.*); et scriptum est (*Ps.* 119.*v.*4): *Sagittae potentis acutae.* — Quare vero haec Mulier non habet unum *arcum*, sed plures, ita ut dicatur: *Et omnes arcus eius extenti?* — Nos adfirmare possumus, quod iure sic dicitur. Uno enim arcu sagittam iacit versus Deum, et amoris iaculo eius cor ita transverberat, ut ipse Deus in illa verba prosiliat (*Cant.c.*4.*v.*9): *Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum.* Alio arcu Deipara sagittam dirigit ad cor hominis, ita ut ipse vulneratus clementia et amore, exclamare debeat cum Davide (*Ps.*7.*v* 3): *Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam.* Denique alio arcu sagittas iacit terrificas et exitiosas contra daemones; et de huiusmodi sagittis dici potest illud Regii Psalmographi (*Ps.* 17.*v.*15): *Misit sagittas suas, et dissipavit eos.*

3. Deipara dat arcum suae potentiae hominibus per suum potentissimum patrocinium. — In libro 1. Regum (*c.*18. *v.*4) habetur, quod Ionathas, ut daret signum suae dilectionis Davidi amico suo: *Expoliavit se tunica, qua erat indutus, et dedit eam David, et reliqua vestimenta sua usque ad gladium et* (nota verba) *arcum suum, et usque ad baltheum.* Haec Ionathas Davidi amico suo praestitit. Sed Deipara num ne similiter non agit erga suos filios et devotos? Ipsa quodammodo expoliat se tunica sua, nobis praebendo suum pretiosissimum scapularem: Ipsa dat nobis gladium et *arcum* suum, quo deiicere possimus diabolum adversarium nostrum.

Arcus in manu diaboli. — 1. Fortasse de diabolo intelligebat Anna Samuelis mater (quae umbra quaedam fuit divae Annae felicissimae matris Deiparae Virginis), quando canticum eucharisticum componens, sic loquebatur (1.*Reg.cap.*2.*vers.*4): *Arcus fortium superatus est.* Huic versui antistrophus est ille beatae Virginis: *Deposuit potentes de sede*, uti observat a Lapide (*sup.hunc.loc.*). Ad rem autem nostram divus Gregorius memorata verba adaptat Lucifero, eiusque asseclis daemonibus, qui erant potentes et fortes, *quosque Deus de coelo praecipitavit.* Origenes (*homil. de Elcana*) hanc *gnomen* accommodat etiam daemonibus, qui potentissimi sunt spiritus; et hominibus qui carnei sunt, ideoque infirmissimi. Verum, his non obstantibus, si homines scuto fidei muniti ad potentissimum Deiparae patrocinium confugient, *arcus fortium*, idest diabolica potentia, superabitur; *et infirmi*, idest homines, accingentur robore.

2. Licet de Saule, et de eius asseclis primario intelligenda sint verba Davidis (*Ps.*10. *v.* 3): *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuris rectos corde;* tamen Titelmannus per *peccatores intendentes arcum* intelligit malignos daemones, eorumque ministros homines perversos, qui parati existunt ad perimendas simplicium animas, ad modum eius qui arcum tensum manu tenet (*vide Le Blanch sup.hunc loc.*). Similiter de inimicis humanae salutis alia Davidis verba usurpari possunt (*Ps.*63.*v.*4): *Intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum: subito sagittabunt, et non timebunt.* Denique de diabolis pariter intelligi possunt alia Davidis verba (*Ps.*36.*v.*14): *Gladium evaginaverunt peccatores: intenderunt arcum suum, ut deiiciant pauperem et inopem, ut trucident rectos corde.* Verum licet diaboli *sagittent in obscuris rectos corde*, et in *occultis immaculatum;* tamen quia *in obscuris*, et in *occultis* noctis adest luna, cuius luminis auxilio homines se possunt a iaculis et sagittis eripere et subducere: cum mystica luna sit Deipara Virgo *ab arcu*, de qua in Canticis (*c.*6.*v.* 9) habetur: *Pulchra ut luna;* ope potentissimi patrocinii eiusdem profecto fiet, ut *gladius eorum intret in corda ipsorum, et arcus eorum confringatur* (*Ps.*36.*v.*15).

Tandem Arcus in manu hominis. — 1. Homo praesumere non debet *in arcu suo*, idest in sua virtute, iuxta illud Regii Psaltis (*Ps.* 43. *v.*5): *Non in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me.* Verum in quo arcu homo suam fiduciam reponet? Profecto in arcu protectionis Deiparae Virginis. Ad rem ad memoriam revocare iuvat illud quod in 1. Regum (*cap.* 17) narratur. David pugnaturus cum Goliath, indutus fuit a Saule regiis vestibus et armis: verum cum sic accinctus incedere non posset, deposuit ea, et tulit fundam arcumque suum, et sic processit adversus Philistaeum, illumque percussit. Ad eumdem ergo modum, cum nos pugnare non possimus adversus nostrae salutis hostes cum vestibus et armis huius saeculi, oportet deponamus arma mundi, et sumamus fundam et *arcum* nostrum. Quisnam autem est huiusmodi arcus noster, quo accincti pugnare possimus contra hostes nostrae salutis? Absque dubio protectio Deiparae Virginis, quae *ab arcu* salutatur, et de qua usurpari possunt verba illa Habacuc (*c.* 3.*v.*9): *Suscitans suscitabis arcum tuum.*

2. Arcus denique in manu hominis, quo patrocinium beatissimae Virginis implorari potest, est oratio. Nec sufficit semel, bisve orare, sed incessanter et cum perseverantia. Ad rem illud narrare operae pretium erit, quod in libro 4. Regum (*cap.* 13) scriptum est. Etenim cum exercitus Syrus devastaret Israelem, rex Ioas ad Elisaeum prophetam perrexit, qui sic regi loquutus fuit: *Affer arcum et sagittas. Cumque attulisset ad eum arcum et sagittas, dixit ad regem Israel: Pone manum tuam super arcum. Et cum posuisset ille manum suam, superposuit Elisaeus manus suas manibus regis, et ait: Aperi fenestram orientalem. Cumque aperuisset dixit Elisaeus: Iace sagittam. Et iecit. Et ait Elisaeus: Sagitta salutis Domini, et sagitta salutis contra Syriam in Aphec, donec consumas eam. Et ait: tolle sagittas. Qui cum tulisset, rursum dixit ei: Percute iaculo terram. Et cum percussisset tribus vicibus, iratus est vir Dei contra eum, et ait: Si percussisses quinquies, aut sexies, aut septies, percussisses Syriam usque ad consummationem: nunc autem tribus vicibus percuties eam.* Vide ergo ex nuper exposito exemplo, quod non sufficit, si nos *arcu* mystico semel aut bis iaciamus iacula et sagittas nostrarum precum in cor Deiparae; sed oportet ut instantes simus

et perseverantes in oratione, ut eius patrocinio suffulti, tela inimici evadere possimus.

III.

Beatissima Virgo s. Maria ab arcu *salutatur relate ad structuram aedificii in modum arcus curvatam.*

1.Nulla arcuum in aedificiis priscorum temporum mentio habetur tum apud auctores sacros, tum apud prophanos: idcirco fortasse ne verbum quidem invenitur in sacris Scripturis quod innuat, arcum sumi posse pro illa aedificii parte, quae ideo arcus dicitur, quia curvata est ad modum iridis (*vide Forcellin.ad voc. arcus*). In effossis monumentis Aegyptiis, Graecis, atque Indis ne vestigium quidem arcuum apparet ; et iuxta veriorem communioremque sententiam, arcuum inventio Romanis adiudicari debet. Celeberrima, inter alia, sunt pervetusta aedificia antiquae Romae ad haec usque tempora servata, nempe Pantheon Agrippae, nunc templum *Rotundae*, arcus Titi Vespasiani , arcus Septimii Severi, arcus Iani quatrifrontis, arcus Gallieni, et amphiteatrum Flavium (nunc *Colosseo* nuncupatum), in quibus arcuatae fabricae conspiciuntur. Huiusmodi arcus in arte coementaria ad plures usus inserviunt; nempe praecipue 1.ad coniungenda plura membra seiuncta 2. ad sustentanda et consolidanda aedificia ruinosa et propemodum labentia 3. ad transeundum ab uno loco ad alium , in quorum locorum medio aliqua sit profunditas 4. denique ad communicandam aquam ab uno ad alium locum (*vide M. Vitruvium Pollion. de Architectur. l. VI.c. XI.* de firmit. aedificior. *et alibi*). Nos in praesenti capite demonstrare aggredimur , quod secundum omnes memoratos usus Deiparae Virgini in sensu mystico, vel accommodatitio, etc. mirifice quadrat denominatio *sanctae Mariae ab arcu.*

1.Arcus inservit ad coniungenda plura membra aedificii a se invicem seiuncta. At beatissima Virgo nonne Deum ab hominibus per Adamiticam culpam seiunctum coniungit? Nonne coelum a terra divisum veluti coagmentat? Nonne ima a summis divergentia sociat ? nonne tandem homines ipsos ab hominibus dissidentes componit?—Et quidem si Deipara ipsa in sacro Canticorum libro (*cap.* 8. *v.* 18) se muro assimilat : *Ego murus;* abs re non erit Deum ex una parte veluti muro insidentem menti nostrae repraesentare, uti eum descripsit propheta Amos (*cap.* 7. *v.* 7): *Et ecce Deus stans super murum litum:* et ex alia parte humanam pravitatem alio muro innixam , uti dixit David (*Psal.* 55. *v.* 11) : *Super muros eius iniquitas;* nam haec prosopopaeia, iuxta Le Blanc, indicat iniquitatem veluti armatum militem. Verum si Deus est innixus muro ex una parte , et humanum genus inquinatum ex alia parte insidet alio muro, qua ratione fieri poterit, ut hi duo parietes disiuncti coniungantur? Nulla alia profecto ratione , nisi per *arcum* mysticum Deiparae Virginis. Huiusmodi arcus *domus supernae et infimae utrumque iunxit angulum* (*in hymn. dedic. eccl.*): huiusmodi arcus terrenis coelestia sociavit; et illo mediante dissidentes componuntur. Iure merito ergo ipsamet benedicta Virgo figurata dicitur a sapiente muliere Thecuite Davidem cum Salomone reconciliante (2. *Reg. cap.* 14. *v.* 2) , a venusta et prudente Abigail iram Davidis contra Nabal suum virum placante (1.*Reg.cap.*25.*v.* 3), et a pulcherrima Hester Assuerum erga Hebraeam gentem benignum reddente (*Hester c.*8.*v.*3.8).

2. Arcus inservit ad sustentanda et consolidanda aedificia ruinosa, et propemodum labentia. — De omnibus hominibus filiis Adae dici potest illud Davidis (*Psalm.* 105. *v.* 29) : *Multiplicata est in eis ruina.* Verum Ezechiel praedixit (*cap.* 37. *v.* 33): *Haec dicit Dominus Deus : in die qua mundavero vos ex omnibus iniquitatibus vestris, et inhabitari fecero urbes, et instauravero ruinosa:* et Isaias sic vaticinatus fuit (*cap.* 51. *c.* 3): *Consolabitur omnes ruinas eius.* Huiusmodi ruinae primario a Christo Iesu servatore nostro instauratae profecto fuerunt. Sed quoniam ipse in redemptione sibi associatam voluit Matrem suam, haec comparari potest arcui, per quem ruinosa et labentia aedificia consolidantur et reficiuntur; ipsique accommodari possunt verba illa principis Oziae ad Iudith (*Iud. cap.*13. *v.* 23): *Benedicta es tu, filia, a Domino Deo excelso prae omnibus mulieribus super terram. Benedictus Dominus, qui creavit coelum et terram , qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum. Quia hodie nomen tuum ita magnificavit , ut non recedat laus tua de ore hominum , qui memores fuerint virtutis Domini in aeternum, pro quibus non pepercisti animae tuae propter angustias et tribulationem generis tui* (nota verba), *sed subvenisti ruinae ante conspectum Dei nostri.*

3. Arcus inservit ad transeundum ab uno loco ad alium, in quorum locorum medio aliqua sit profunditas. — Duae viae moraliter adsunt, nempe via Domini, et via iniquitatis: de prima David dicit (*Psal.* 76. *v.* 14) : *Deus in sancto via tua:* de secunda idem Regius Psaltes (*Psal.* 35. *v.* 5) ait : *Astitit omni viae non bonae.* In medio harum viarum adest profundum divinae iustitiae ; de quo profundo memoratus David canit (*Psal.* 68. *v.* 16) : *Neque absorbeat me profundum.*— Divina Sapientia ad peccatores clamitat (*Eccl. cap.*24.*v.*21): *Transite ad me omnes qui concupiscitis me.* Verum peccatores respondere possunt: Quomodo transibimus a via iniquitatis ad viam bonam , si in medio profundum terret nos, et non adest pons, seu arcus, quo mediante transire possimus?... At eia peccatores! Maria est mysticus *arcus* in medio harum viarum stans; ipsaque in Proverbiis (*cap.* 8. *v.* 20) ait : *Ego in viis iustitiae ambulo*, vel uti vertit Pagninus (*vid. a Lapid.*) *ambulare faciam:* ipsa est arcus seu pons *in medio semitarum iudicii* (*Prov. cap.* 8. *v.* 20). Iure merito igitur etiam hac de causa benedicta Virgo salutatur *ab arcu.*

4. Denique arcus inservit ad communicandam aquam ab uno ad alium locum.—Aquae divinarum gratiarum sponte fluebant ad Adam in statu innocentiae. Verum , quemadmodum Holofernes praecidit aquaeductum Bethuliae,

ne fluerent aquae (*Iudith. cap.*7. *v.* 6); sic serpens decipiendo Evam, praecidit aquaeductum gratiarum, qui aquaeductus a Deo ad homines eas derivabat. Sed in quo Eva prior obfuit, in hoc Eva secunda profuit. Audiatur ipsamet Deipara Virgo,quae sic de se loquitur (*Eccli.c.*24. *v.* 41) : *Ego quasi aquaeductus exivi de paradiso.* Unde divus Bernardus (*serm.de aquaed.*) inquit : *Iste aquaeductus est Maria , quae plenitudinem fontis de corde Patris accepit, et nobis illud , prout capere poteramus , edidit :* et paulo post subiungit: *Propterea humano generi tanto tempore fluenta gratiae defuerunt , quia nondum intercesserat aquaeductus.* Ex hoc aquaeductu aquae tam abundantes fluunt, ut merito usurpari possint illa verba Numerorum (*cap.* 20) : *Egressae sunt aquae largissimae , ita ut populus biberet et iumenta;* idest devoti, significati per populum, iuxta illud Isaiae (*cap.*9. *v.* 2): *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam ;* et etiam indevoti, iuxta illud Regii Psaltis (*Psal.* 48. *v.* 13) : *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Qui plura ad rem desiderat , adeat laudatum divum Bernardum, qui ex professo in memorato sermone demonstrat , Deiparam esse *aquaeductum.* Nobis solum sufficiat concludere, Mariae denominationem *arcus* mirifice omni ex parte quadrare.

IV.

Deipara Virgo salutatur s. Maria ab arcu *relate ad arcum, seu plectrum, quo ex aliquibus instrumentis fidicularibus sonus emittitur.*

Doctissimus Augustinus Calmet (*in dissert.de music. Hebraeor.*) , eruditissime sermonem instituit de veterum musica; eamque antiquissimam esse demonstrat, cum ante diluvium ab ipso Iubal filio Lamech originem traxerit, qui *fuit pater canentium cithara et organo* (*Genes. cap.* 4. *v.* 21).

Quod ad instrumenta musica veterum attinet, laudatus Calmet in tres classes ea distribuit , nempe instrumenta fidicularia , instrumenta pneumatica , et tympana, seu crepitacula. Nos relictis instrumentis duorum posteriorum classium , quoad fidicularia observamus, aliqua ex eis manu, alia *arcu* sive plectro pulsari consuevisse ; et impraesentiarum solum de hisce postremis aliquo pacto occupamur. — Plectrum autem , sive arcus, iuxta Calmetum , est virgula quaedam ferrea , seu lignum recurvum, instructum tredecim ordinibus fidium ad unisonum, sive ad octavum tensis, et fulcro ad duo instrumenti latera commissis , ut proinde fides ad utrumque latus protendantur. — His praelibatis.

1. Plectro pulsari psalterium tradit Cassiodorus (*vid. Calm. loc.cit.*): Psalterium vero decem fidibus instructum esse patet ex Davide (*Psalm.* 91. *vers.* 4., *et Psalm.* 143. *vers.* 9). Ut autem ad scopum nostrum accedamus, dicere possumus, *psalterium decachordon* significare praecepta decalogi data a Deo Moysi, in summitate Sinai montis. Verum quemadmodum ad emittendum dulcem sonum ex decachordo psalterio necessarium erat plectrum sive arcus; ita ad observanda praecepta decalogi nos opus habemus mystico arcu Deiparae Virginis, quae suo exemplo et patrocinio nos ad observandam divinam legem allicit et inducit. Re quidem vera de ipsa usurpari potest illud Proverbiorum (*cap.* 31. *v.* 26) : *Et lex clementiae in lingua eius.* In ipsius os Ecclesia illa verba Proverbiorum ponit (*cap.* 8. *v.* 32): *Nunc ergo, filii, audite me: beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, et estote sapientes, etc.*

2.Saepe memoratus Calmetus (*loc. cit.*) observat, aliqua Hebraeorum fidicularia instrumenta , nempe citharam, seu kinnor, lyram, kinniram etc. dici instrumenta trichordia, heptachordia etc. eo quod aliquando tribus, aliquando septenis, aliquando octo, duodecim, vel pluribus paucioribusve fidibus instructa erant; eaque ut plurimum plectro sive arcu pulsari consuevisse — Hanc doctrinam argumento nostro accommodantes , adfirmamus, fidiculare instrumentum trichorde significare tres theologicas virtutes: septichorde alludere posse ad septem Spiritus sancti dona: octavam, sive instrumentum octo fidium symbolum esse posse octo evangelicarum beatitudinum: et tandem instrumentum duodecim fidium significare posse duodecim Spiritus sancti fructus.—At quemadmodum ex memoratis instrumentis sonus non emittitur, nisi mediante plectro, sive arcu; sic nec tres theologicae virtutes sine Deipara exerceri possunt ; nec sine ipsa obtineri possunt septem Spiritus sancti dona; nec octo beatitudines; nec eiusdem Spiritus sancti fructus.

3. Arcus mysticus seu plectrum Deiparae sonum emittit Deo iucundissimum. — Doctissimus Canisius (*lib. de Deip. Maria*) canticum a beatissima Virgine in domo Elisabeth compositum, *psalterium decachordon* inscribit: pro quo observandum est, decem carminibus, seu versiculis, veluti decem fidibus constare praedictum canticum; iuxta illud regii Vatis (*Ps.*143): *Deus canticum novum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi.* In hoc decachordo decem Dei magnalia observantur. In 1. versu suprema Dei potestas et dominium, nam Deus per antonomasiam vocatur *Dominus* (*Luc.c.*1): *Magnificat anima mea Dominum.* In 2. versu redemptionis beneficium exprimitur : *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* In 3. versu clementia commemoratur divina, quae humanae conditionis miseriam respicit , et respiciendo sublevat : *Quia respexit humilitatem ancillae suae etc.* In 4. magnitudo divinorum operum ponitur: *Quia fecit mihi magna qui potens est etc.* In 5. tempus et continuatio divinae misericordiae in mundo exaltantur : *Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum.* In 6. rectitudo divinae iustitiae laudatur: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos etc.* In 7. meritorum retributio demonstratur: *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* In 8. Deus generosus in bonis remunerandis innuitur: *Esurientes implevit bonis etc.* In 9. omnia signa, figurae, oracula, vaticinia, atque Scripturae de susceptione carnis a Verbo laconico stylo tanguntur: *Suscepit Israel puerum suum, recorda-*

tus misericordiae suae. In 10. tandem fidelitas Dei in adimplendis promissis luculentissime demonstratur:*Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham,et semini eius in saecula.*—At si canticum memoratum iure a Canisio, uti diximus, *decachordon psalterium* nuncupatur ; quonam arcu sive plectro psalterium istud pulsabitur, ut sonum emittat iucundissimum? — Nullo alio profecto arcu, sive plectro, nisi Mariano: arcus enim, uti superius innuimus, debet esse ad unisonum: verum quaenam alia creatura ita ad unisonum est cum Deo, uti Maria? Ad unisonum, quia semper Deo coniuncta: ad unisonum, quia quae placita sunt Deo, fecit semper: ad unisonum cum Verbo Dei , cui suam communicavit naturam. Ergo iure Deipara salutatur *ab arcu* etiam sub hoc respectu.

4. Arcus mysticus, sive plectrum Deiparae doemones terret et fugat. — Nemo est , qui ignoret, Saulem a spiritu nequam exagitatum sive obsessum fuisse (*1. Reg. cap.* 16. *v.* 13). Verum dum David citharam tangebat, *recedebat ab eo spiritus malus.* Doctissimus a Lapide (*sup. hunc loc.*) in ea est sententia, quod David cithara fugabat doemonem vi partim naturali, partim supernaturali;naturali, quia musica exhilarat , et pellit spiritum melancholicum , a quo Saul erat correptus: supernaturali,suis psalmis et orationibus doemones abigendo. — Verum allegorice cithara David repraesentat crucem Christi: sicut enim chordae in cithara distenduntur; sic Christus distensus fuit in cruce: sic Angelomus, Eucherius, et Beda, relati ab a Lapide. S. Augustinus vero (*serm.* 3. *de temp.*) docet cytharam esse cor Christi. — Ex hac autem cithara ut sonus emittatur potentissimus ad fugandos doemones , opus est ut ipsa tangatur arcu sive plectro Deiparae Virginis , quae operi a Christo in cruce peracto mirabiliter cooperata fuit, et ex qua Christus carnem sumpsit. Serpens autem statim ac audit sonum emissum a cithara crucis mediante hoc plectro, aufugit; nam inimicitiae aeternae positae sunt inter ipsum et hanc mulierem (*Gen. cap.* 3. *v.* 15).

5. Arcus mysticus, sive plectrum Deiparae sonum sive flebilem contritionis,sive laetitiae emittit ex cithara cordis hominis.—Propheta Isaias (*c.*16.*v.*11) ait: *Venter meus ad Moab tanquam cithara sonabit.* A Lapide (*sup.hunc loc.*) sic exponit hunc textum : *Intima viscera mea tacta dolore edent lugubrem cantum et gemitus ob Moabitarum vastationem: sicut cithara plectro tacta dat sonitum in funere funereum.* — Nota: cithara, quia lugubre quid sonat, solebat olim adhiberi luctui et funeribus.—Plectrum autem, sive arcus,quo ex cithara humani cordis editur sonus flebilis contritionis,est Deipara, in qua *est omnis gratia viae et veritatis* (*Eccli.cap.* 24). Insuper hoc mystico plectro emittitur etiam sonus laetitiae ex cithara humani cordis.—Iam exposuimus in antecedente numero,spiritum melancholiae recessisse a Saule ad sonitum Davidicae citharae. — At cum cithara humani cordis tangitur a plectro seu arcu Mariano, tristitia aufugit, et laetitia succedit: unde Ecclesia Deiparae accommodat illa verba Regii Psaltis (*Ps.* 86. *v.*7): *Sicut laetantium omnium habitatio est, in te.* Re quidem vera ad sonum salutationis eiusdem , Ioanne; Baptista in utero matris exultavit in gaudio s Elisabeth gavisa est, et repleta Spiritu sancto: et ut paucis me expediam, Deipara Virgo *gaudium annuntiavit universo mundo* (*Eccl. in suis liturg.*).

V.

Deipara Virgo tandem salutatur s. Maria ab arcu *relate ad arcum triumphalem.*

Sacrae Scripturae semel tantum, quoad sciamus, mentionem faciunt de arcu triumphali , quum scilicet in libro 1. Regum (*c.* 15. *v.*12) loquuntur de Saule, qui post fatale bellum Amalecitis illatum, reportata victoria, venit in Carmelum , et erigi sibi fecit *fornicem triumphalem*,seu,uti legitur in Hebraeo,*monumentum.*

1. Saul , qui antea humillimus fuerat, hac vice stulte egit, quum pro victoria, quae tota Deo adiudicanda erat , ipse *sibi fornicem* seu arcum triumphalem erexit.Optimo iure huiusmodi arcus triumphalis debetur Deiparae Virgini: et bene in Carmelo ; nam ibi habitavit illa pulcherrima et prudens Abigail (1. *Reg. c.* 25.*v.*5), quae benedictam Virginem tam ad vivum adumbravit. Carmelus etiam fuit mons ille, in quo nubecula Eliae apparuit (3.*Reg.c.* 18.*v.*44) eamdem Deiparam repraesentans. Scio duplicem Carmelum in Palaestina commemorari: sed quoniam Carmelus interpretatur, *vinea Dei*, nobis satis sit adfirmare, utrumque montem illum beatissimae Virgini iuremerito dicatum esse, quae usurpare potest illud Canticorum (*c.*2.*v.*15): *Vinea nostra floruit;* quaeque adeo *vinea Domini* fuit, ut ex illa prodierit *vinum germinans virgines* (*Zach.cap.*9.*v.*17), et quod *laetificat cor hominis* (*Ps.*103.*v.*15).Audiatur s.Damascenus (*or.*1.*de Nat.*), qui ait:*Vinea uberrima Deipara ex Anna pullulavit , atque uvam suavissimam protulit , nectar mortalibus fundentem in vitam aeternam.* Nec solum Deipara est vinea , sed etiam vitis , ipsa dicente (*Eccli. c.*24.*v.* 23): *Ego quasi vitis fructificavi* etc. Unde divus Bernardus (*ser.*4.*sup.Salve Regina*) ad ipsam conversus dicit: *Defecit vinum in cadis nostris , vinum scilicet laetificans cor hominis, quod germinat virgines: huius pincerna tu, vexillifera tu. Vexilla Regis prodeunt in nobis , te agente pro nobis: calix in manu tua vini meri amoris divini. Calix huius vini inebrians quam praeclarus est!*—In Carmelo igitur arcus triumphalis , non Sauli , qui licet antea triumphaverit , postea tamen succubuit Philistaeis(1.*Reg.c.*31,*v.*2); sed Deiparae nunquam succumbenti , semperque victrici debetur. Hic autem arcus triumphalis eius insignes multiplicesque partas victorias insculptas habere debet, ut merito *s. Maria ab arcu* nuncupari possit.

2. Auctor traditionum Hebraicarum (*in libros Reg.*) refert, arcum seu fornicem triumphalem a Saule erectum, contextum fuisse ex ramis myrti, palmae , et olivarum (*vid. Calmet Dictionar. s.Script. ad vocem* arcus). At benedictae Virgini hic arcus mirifice quadrat ; myrtus enim arbusculum est semper viride ,

et virtutem spei figurat, sine qua quaecumque victoria nequit reportari. Deipara autem optime usurpare potest illud Regii Psaltis (*Ps.* 4. *v.* 10) : *Singulariter in spe constituisti me.* Insuper divus Gregorius (*hom.*20.*in Ev.*) dicit: *Myrti sunt qui proximorum tribulationem per compassionem temperant:*Et tandem Delrio subiungit (*adag.* 794) , myrtum iuvare foecunditatem: ita ut qui antea virtutibus erant steriles, nunc mystico hoc myrto fiant foecundi (*de his omn. vide a Lapid in c.* 55. *Is.*). Igitur arcus triumphalis beatae Virginis bene ex ramis myrti efformatur. — Praeterea non desunt in hoc arcu rami palmarum ; palma enim victoriae symbolum est (*vide quod dicit Calmet in lib.*1. *Machab. cap.*13.*v.* 41). Deipara autem assumere potest illa verba (*Eccli.c.* 24. *v.* 18): *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Doctissimus a Lapide (*in c.*7.*Cantic.*) demonstrat,sanctissimam Virginem palmae optimo iure assimilari, nempe , phisice ob staturae proceritatem ; ethice ob celsitudinem animi; et mystice ob aspectum et maiestatem. Cui concinit beatus Alanus (*reportat. ab a Lapide supradict. loc.*), qui ita loquitur: *Palmae assimilatur Deipara in signum victoriae , et exemplum ; ut sicut ipsa vicit mundum , peccatum, diabolum; ita et nos vincamus, iuxta posse nostrum.*— Denique ramis olivae etiam locus debetur in hoc magnifico triumphali arcu Mariae semper Virginis, quae illa verba usurpare potest (*Eccli.c.*24.*v.*19):*Ego quasi oliva speciosa in campis.* Laudatus a Lapide (*in hunc loc.*) dicit: *Oliva symbolum est* 1. *misericordiae* 2. *pacis* 3.*victoriae* 4.*mansuetudinis etc.*—Non desiderantur igitur in arcu triumphali sanctissimae Virginis rami , ex quibus contextus fuit arcus triumphalis Saulis in Carmelo, scilicet rami myrti , rami palmarum , et rami olivae.

3. Priscis temporibus,qui praeclarum aliquod facinus gessissent ,praesertim in bello, triumpho donari consueverunt; utque posteris etiam bene gestorum memoria commendaretur, vel *columnae rostratae*,vel *statuae equestres*,aut *curules*,vel denique *arcus triumphales* erigebantur (*vid.auctor.de antiq.Rom.*).In huiusmodi arcubus triumphalibus autem victoriae insignia insculpi solebant. Extant adhuc horum arcuum vestigia, praesertim in antiqua Roma. — Si ita res se habet, quis triumpho dignior Deipara Virgine ? De ipsa etenim dici potest illud , quod in libro Sapientiae (*c.*4.*v.*2) legitur: *In perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum praemium vincens — Coronata triumphat* 1. corona castitatis et virginitatis excellentissimae : 2. corona nuptiali , quia nubuit Spiritui sancto: et sponsae olim a sponsis coronabantur : 3. corona athletica , quia teterrimum draconem suo immaculato pede contrivit: 4 denique corona integerrimae foecunditatis, utpote quia ipsa sola gaudia matris habuit cum virginitatis honore. *Eadem coronata* est per excellentiam, et *triumphat , incoinquinatorum certaminum praemium vincens.* Vix autem quis inter homines evadit incoinquinatus; nam *necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere* (*div.Leo serm.*2.*de ieiu. X.mens*).Solummodo igitur de Deipara,inter omnes creaturas , dici potest: *In perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum praemium vincens;* ac per consequens ipsimet arcus triumphalis debetur ad ipsius victoriam aeternandam. — Insuper legimus in libro Proverbiorum (*c.*21.*v.*28): *Vir obediens loquetur victorias:* Ad rem autem sanctus Augustinus (*in Psal.*70) inquit: *Sola obedientia tenet palmam: sola inobedientia invenit poenam.* Subiungitur autem, *loquetur victorias*, quia vincit mundum qui suis sectatoribus dominari insinuat; vincit hostes , quia sicut milites obedientes duci facilius hostem profligare possunt, sic et obedientes Deo , et legi. At , praeter Christum , qui antonomastice adeo obediens fuit, ut dicere potuerit (*Heb.c.*10.*v.*7): *In capite libri scriptum est de me , ut faciam, Deus , voluntatem tuam ;* quique *Factus est obediens usque ad mortem* (*Philip.cap.*2.*v.*8), nemo Deipara obedientior, quae verbis Archangeli non restitit, et continuo reposuit(*Luc.c.*1.*v.*38):*Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

4. In arcu triumphali , uti superius innuimus, insculpi solebant victoriae insignia. Quaenam igitur insignia insculpi debebunt in arcu triumphali benedictae, semperque Virginis Mariae? Profecto ego arbitror, desuper insculpi debere, hinc Deum vulnere amoris veluti a b. Virgine sauciatum ; illinc circum circiter homines cuiusvis generis iaculis suae clementiae subactos; ibi mundum ab ipsa devictum; inde deorsum diabolum ab ipsa profligatum. — In singulis huiusmodi insigniis victoriae inspiciendis paulisper immorari ne pigeat.

5. Insignia victoriae erga Deum.—Post celebrem luctam, quam Iacob patriarcha habuit cum angelo Dei vicesgerente , de qua Genesi (*cap.* 21), ei mutatum fuit nomen, dictumque fuit: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti , quanto magis contra homines praevalebis.* Israel porro idem est, iuxta Septuaginta, quod *dominatus est Deo.*—Sciendum vero est, uti superius innuimus,Iacob non luctasse directe cum Deo, sed cum Angelo Dei vicario, uti docent d. Dionysius (*de coel. hierarch. c.*4), divus Augustinus (*lib.de Civ.Dei*), aliique—Solummodo de beatissima Virgine adfirmari potest , quod fuerit *Mulier fortis* , de qua in libro Proverbiorum (*c.*31.*v.*10), quae appellari potest *Israel*, idest *dominans Deo:* Re quidem vera , nonne Mariae nomen sonat *domina ? (s. Bern. sup.Miss.)*: ipsa enim dominata est Deo, cum Verbum Patris, suo assensu, e coelis in suum uterum purissimum evocavit : dominata est Deo, cum Ille, cui serviunt Potestates, et Principatus obediunt , ipsimet Mariae subdi non est dedignatus (*Luc.c.*2): et etiam nunc in coelo quodammodo dominatur Deo; nam ipsa veluti non orat, sed quasi imperat. Recte igitur per mulierem illam fortem Proverbiorum, seu *mulierem exercitus*, uti alii legunt , intelligitur benedicta Virgo: *fortis*, inquam , immo heroina omnium fortissima ipsa est: Unde divus Bernardus (*ser.*2.*sup. Missus*) inquit : *Cui victoria serpentis servata est , nisi Mariae ? Quam vero aliam Salomon requirebat, dicens : Mulierem fortem quis inveniet, nisi ipsam?* Ea-

dem *spoliis non indigebit*, idest spoliis ab aliis reportatis, uti explicat a Lapide (*sup. hunc loc.*); fortitudine namque sua ipsamet manu propria ab hostibus spolia retulit, uti olim Amazones, de quibus Valerius (*l.5.Argonaut.*). At Deus ipse se veluti devictum ab hac Muliere forti fatetur, cum in sacro Canticorum libro (*cap.4.v.9*) inquit: *Vulnerasti cor meum, Soror mea, Sponsa, vulnerasti cor meum;* quod est secundum Vatablum: *Abstulisti mihi cor:* secundum R. David: *Transfixisti mihi cor:* et secundum Arabicum: *In corde me sauciasti.* At quonam gladio, quonam telo Deipara cor Dei vulneravit et sauciavit, ita ut de ipso triumpharet?—Sciendum est, quod *nova bella elegit Deus* (*Iudic.c.5.v.8*): nova bella, uti observat a Lapide, quia non per viros milites pugnantes, sed per mulierem Debboram, victoriam reportari fecit, quae allegorice Deiparam Virginem repraesentavit. Si igitur *nova bella*, profecto nova arma. Gladio proinde et telo amoris benedicta Virgo cor Dei sauciavit et vulneravit; eiusque victoriae insignia insculpi debent in *arcu* triumphali, a quo ipsamet nomen accipit.

6. Insignia victoriae Deiparae erga homines etiam huic arcui apponi debent.—In Ecclesiaste (*c.9.v.* 12) legimus: *Sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo.* Esca, hamus, et laqueus, quo inescantur et capiuntur homines, sunt voluptates, uti ait divus Augustinus (*de agon.christian. c.* 7). Potest esse etiam esca, hamus, et laqueus dulcedo, pulchritudo, beneficentia: huiusmodi escis et laqueis homines facillime capiuntur, praesertim *in tempore malo*, idest difficili. At beatissima Virgo, quod attinet ad dulcedinem, dicere potest illud Ecclesiastici (*cap. 24.v.27*): *Spiritus meus super mel dulcis:* unde Ecclesia eam sic invocat (*in Salve Regina*): *Vita, dulcedo;* et divus Ambrosius (*in Ps.21.in fin.*) illam *Manna dulcissimum* esse adfirmat: Ipsa significata est per Rebeccam, quae comem facilemque se praebuit famulo Abrahae petenti, ut inclinaret hydriam suam, ut ipse biberet (*Genes.44. v.14*); et per Abigail, quae sua suavitate fregit Davidis contra Nabal iracundiam (1. *Reg. c.25.v.3*): quod attinet ad pulchritudinem, Deipara quatuor mulieribus quae venustate celebrantur in Scripturis formosior fuit, nempe Iudith, Hester, Rachele, et Rebecca: at sicut ipsamet beata Virgo dotibus animi omnes antecelluit; ita etiam credi potest, venustatem habuisse corporalem animae correspondentem. Denique quod ad beneficentiam pertinet, si divus Ioannes beneficentiam aeterni Patris ex eo arguit, quod Filium suum unigenitum dederit (1.*Ioann.c.3.vers.16.*); a pari beneficentia Deiparae ex hac ipsa ratione deduci potest, nempe quod pro mundi salute Filium suum dilectissimum Iesum Christum, speciosum forma prae filiis hominum (*Psal.44. v.* 3), dare non sit dedignata. Hac igitur esca, nempe suavitatis, pulchritudinis, et beneficentiae benedicta Virgo homines ad se, et ad Filium suum trahit, et victoriam de ipsis reportat. Merito ergo insignia huius victoriae *arcui* nostro insculpi debent.

7. Adhaec stemmata triumphi a Deipara reportati de mundo subacto apponi debent arcui memorato.—Divus Ioannes (*ep.1.c.2.v.16*) docet, quod: *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, et superbia vitae.* Sed haec omnia, quae ex peccato originali derivantur, dubitari nequit, in Deipara non fuisse, utpote quae primigeniae culpae expers fuit. Insuper idem Ioannes (*c.* 5. *v.* 4) subiungit: *Omne quod natum est ex Deo vincit mundum, et haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra.* Verum Deipara Virgo non solum nata fuit ex Deo, cuius iure reputatur primogenita filia (*Eccli.c.24.v.5*); sed insuper ex ipsa natus est Deus. Ipsa ergo proculdubio mundum vicit. Victoriam vero, quam de mundo reportavit, per fidem reportavit: unde ei merito Elisabeth dicere potuit (*Luc.c.1.v.45*): *Beata quae credidisti.* Nemo autem tam excellenter et firmiter credidit, sicut Deipara; ac per consequens nemo victoriam tam insignem de mundo tulit, quemadmodum ipsa.

8. Denique in hoc mystico arcu insculpi debent insignia triumphi beatissimae Virginis de diabolo ab ipsa profligato. — Re quidem vera cum ex ore Altissimi anima beatae semperque Virginis Mariae iam iam prodibat, nos existimare possumus, diabolum in illa verba prorupisse, quae dicta referuntur a Pharaone, quando Israeliticum populum persequebatur (*Exod.c.15.v.9*): *Dixit inimicus: Persequar et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea: evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.*—At e contra pulcherrima infantula Maria in ipso primo suae conceptionis instanti, prodiens immaculata ex ore Dei, illa Davidis verba usurpare potuit (*Ps.*140. *v.* 10): *Cadent in retiaculo eius peccatores: singulariter sum ego.* Ex tunc inimicitiae iam serpenti a Deo comminatae (*Gen. c.2.v.15*), positae fuerunt inter ipsum, et tenellulam infantem Mariam; Ipsaque immaculato suo pede caput eiusdem serpentis contrivit. — At quemadmodum omnia spolia Holofernis data fuerunt Iudith; ipsaque *universa vasa bellica Holofernis, quae dedit illi populus, et conopeum, quod ipsa sustulerat de cubili eius, dedit in anathema oblivionis* (*Iudith cap.16.v.23*): Anathema autem oblivionis, iuxta Serarium (*vide a Lapid. sup. hunc loc.*) ita dicebatur, quia erat monumentum quod erigebatur ad arcendam, et veluti anathematizandam victoriae apud posteros oblivionem. Igitur pari modo universa spolia et insignia triumphi a beatissima Virgine reportati contra diabolicas potestates, digna sunt, ut dentur *in anathema oblivionis*, idest insculpantur in arcu triumphali eiusdem Deiparae, ad arcendam, et veluti anathematizandam eius victoriae apud posteros oblivionem. Cuius victoriae canticum eucharisticum, toto vitae nostrae curriculo, in argumentum nostrae filialis devotionis nunc canentes, postea dulciori sono, ipsamet nobis opitulante, cum Angelis concinere speramus in coelesti curia. Amen.

III. TITULUS

S. MARIA AB AURORA

In Canticis Canticorum (*c.* 6. *v.* 9) legitur: *Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.*—Haec verba ab ipsa Ecclesia Deiparae Virgini accommodantur, et iisdem Virginis excellentia indicatur. Sicut enim in die nihil pulchrius sole; in nocte nihil pulchrius luna; in tempore intermedio inter noctem et diem nihil aurora venustius; tandem in certamine nihil pulchrius acie castrorum bene ordinata: ita in nocte peccati, in die iustitiae et gratiae, in tempore intermedio, cum peccator a statu culpae ad statum gratiae transit, et tandem in certamine tentationum, nihil pulchrius, dulcius, utilius Deipara Virgine Maria.—Quoniam autem alibi de comparatione solis, lunae etc. sermo occurret, nunc explanare pergimus quare ipsamet beatissima Virgo aurorae assimiletur, 1. respectu sui 2. respectu mundi.

I.

Deipara aurorae comparatur respectu sui.

1. Aurora sumitur pro illa hora, quae media est inter noctem praecedentem et diem sequentem: quandoque sumitur etiam pro illa stella, quae circa noctis finem solet surgere, tenebras fugare, ante solem ire, et diem nunciare. Ita Berchorius ad titulum *Aurora.* — Quod per auroram intelligi possit Deipara Virgo, praeterquam quod Ecclesiae auctoritas id suadet, nemo sanae mentis dubitabit. Ipsa etenim vere fuit media inter noctem veteris testamenti, et diem foederis novi, in quo Sol iustitiae ortus est, Christus Deus noster: ipsa est speciosa et fulgida stella ex Iacob, et stella quae *matutina* a sancta Ecclesia iure salutatur (*in litan. Lauret.*): ipsa praeivit in mundo ante Solem, nempe Christum, filium suum benedictum: ipsa tenebras culpae fugavit, diemque iustitiae et sanctitatis nunciavit.

2. Sicut aurora incipit esse in luce, et in luce crescit, quoadusque fulgenti soli coniungatur; sic immaculata Virgo, uti ait doctissimus Carthagena (*l.* 1. *hom.* 11), in momento suae conceptionis coepit divinae gratiae luce clarescere, et in hac claritate adeo in dies succrevit, ut tandem cum Sole iustitiae Christo Domino in coelesti beatitudine, miris gloriae decorata fulgoribus, fuerit coniuncta

3. Aurora in luce incipit esse: et similiter b. Virgo in luce divina gratiae incoepit esse a primo suae conceptionis instanti. Atque huc faciunt verba illa Davidica (*Ps.45*): *Adiuvabit eam Deus mane diluculo.—Mane diluculo*, idest, uti alia versio habet, *in aurora matutina.* Sane quosdam sanctos adiuvit Deus ad occasum solis, uti bonum latronem; alios in meridie, uti martyres, qui in fervore persecutionum fideles inventi sunt; alios adiuvit hora tertia, uti Apostolos, qui primitias spiritus habuerunt; aliis opitulatus est mane, uti Ieremiae, et Baptistae, ab utero materno eos sanctificans. Hucusque progredi videbatur divina gratia in sublevandis hominum miseriis Verum ut Deus adiuvaret Deiparam, non solum *mane* id praestitit, sed *mane diluculo;* scilicet eam praeliberans et praeservans in primo suae conceptionis instanti ab omni macula sive originalis, sive actualis culpae. Atque hinc est, quod ubi nostra Vulgata habet: *Adiuvabit eam Deus mane diluculo;* alia versio habet: *Adiuvabit eam ab aurora matutina.*

4. Aurora genitrix est roris: unde divus Isidorus (*l. Ethimologiarum*) docuit, idem esse auroram, quod *aura rorans.* At beatissima Virgo, velut divina aurora, coelestem illum rorem genuit, quem veteres patres desiderantes clamabant (*Is.c.* 45): *Rorate coeli desuper.* De hoc etiam rore fortasse, nempe de Messia desiderato, arbitror spiritu prophetico locutum fuisse Isaac, cum benedixit Iacob filium suum, et dixit (*Gen.c.27. v.28*): *Det tibi Dominus de rore coeli, et de pinguedine terrae:* per *rorem* enim intelligebat Christum, et per *pinguedinem terrae* foecunditatem Mariae, quae mystica terra est, de qua usurpari potest illud Davidis (*Psal.84*): *Veritas de terra orta est.*

5. Aurora est finis noctis praecedentis, et initium diei sequentis: Unde d. Isidorus dicit: *Aurora quasi aurea hora, eo quod rutilantem ad modum auri diffundit colorem.* At antequam oriretur Virgo in mundo, dici potest illud (*Ps.* 103): *Facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiae sylvae.* In ortu autem felicissimo Mariae nox culpae coepit cessare, et initium habuit dies gratiae.

6. Insuper, quemadmodum in aurora Israelitica gens in deserto colligebat manna, uti eruitur ex libro Exodi (*c.* 16): *Colligebant autem mane* (idest in aurora; nam quando descen-

debat ros, descendebat etiam manna) *singuli, quantum sufficere poterat ad vescendum: cumque incaluisset sol, liquefiebat:* sic ex mystica nobilissima aurora, Deipara Virgine, duplex manna quotidie colligit Ecclesia, nempe manna consolationum, quas instar piae matris exhibet; et manna Corporis Christi in Eucharistia ad cibationem fidelium, qui in deserto huius mundi gressus suos dirigunt ad beatam terram promissionis. De hoc manna accipi potest illud Davidis (*Ps.*77): *Pluit illis manna ad manducandum:* de hoc manna loquitur Evangelium (*Io.c.*6.*v.*31): *Patres nostri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt: iste est panis de coelo descendens, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur.*

6. Sicut ros descendens in aurora conchas marinas foecundat, ita ut in eis pretiosae gignantur margaritae, uti multi antiqui scriptores docent, et praesertim Plinius (*lib.*9 *cap.*33); non dissimiliter, hac mystica surgente aurora, nempe Deipara, ros gratiae Spiritus sancti in hanc concham marinam descendens, pretiosam illam margaritam efformavit, pro qua possidenda omnes mundi thesauri non sufficiunt.

7. Opportune divus Bernardus (*sup. Cant.*) sic Deiparam alloquitur: *Certe, o Maria, officium aurorae implevisti: ipse enim Sol iustitiae de te processurus, ortum suum quadam matutinali irradiatione praeveniens, in te lucis suae radios copiosissime fudit.*

8. Aurora est lucis initium; luna autem lucis augmentum; sol vero lucis plenitudo: idcirco, ut scribit a Lapide (*in comment.Cant.*), recte hoc titulo significatur beatissima Virgo, quae fuit aurora in nativitate, luna in conceptione Christi, sol tandem in sua assumptione ad coelum. Abs re non erit heic elegantissima verba Ruperti Abbatis afferre (*lib. penult. in Cantic.*): *Quam pulcher ordo in ista tuae pulchritudinis, o beatissima, praedicatione! Primum consurgens, ut aurora; pulchra deinde, ut luna: deinde electa, ut sol. Quando nata es, o Virgo beata, tunc vera nobis aurora surrexit, aurora praenuncia diei sempiterni: quia sicut aurora quotidiana finis praeteritae noctis est, et initium diei sequentis, sic nativitas tua, clara ex stirpe David, finis dolorum, et consolationis fuit initium: finis tristitiae, et laetitiae nobis extitit principium. Quando autem Spiritus sanctus in te supervenit, et filium Virgo concepisti, Virgo peperisti, tunc tu, et ex tunc pulchra pulchritudine divina: pulchra, inquam, non quomodocumque, sed ut luna; sicut enim luna lucet et illuminat luce non sua, sed ex sole concepta; sic tu, o beatissima, hoc ipsum, quod tam lucida es, non ex te habes, sed ex gratia divina, o gratia plena. Quando autem de hoc mundo assumpta, atque ad aethereum thalamum translata es, tunc tu ex tunc electa ut sol. Et quidem non natura tu idem es, quod ille Sol, Deus, sed nihilominus tanta es, ut te honoret ipse sol, honore, quo decet filium honorare parentes suos,* etc.

9. Videamus nunc diversitatem inter beatam Virginem, et reliquos omnes Adae filios. — Certum est, post originale peccatum, omnes Adae posteros consurgere per generationem ex foetido coeno culpae et immunditiae primigeniae: unde David (*Psal.* 50. *b.* 6) inquit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* At beatissima Deiparens Maria, instar aurorae, consurrexit pura, limpida, et absque ulla peccati macula.

II.

Deipara aurorae comparatur respectu mundi.

1. Diabolus pertimescit mysticam auroram, nempe Deiparam. — In libro Geneseos (*c.* 32) legitur, quod cum Iacob paveret ire obviam Esau, apparuit ei angelus, dum ipse dormiebat: *Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane. Qui cum videret, quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris eius, et statim emarcuit; dixitque ad eum: Dimitte me; iam enim ascendit aurora.*—Vir qui luctabatur, profecto angelus erat specie et habitu viri, uti patet ex Oseae (*c.*12.*v.*2): *Visitatio super Iacob...in utero supplantavit fratrem suum, et in fortitudine sua directus est cum angelo. Et invaluit ad angelum, et confortatus est etc.* — Petes, quis sit hic angelus? Origenes (*l.*3.*Periarchon*), Hieronymus (*in c.*6.*Ephes.*), et alii, putant fuisse diabolum. Alii rationabilius et verius volunt fuisse angelum bonum.—Petes insuper, an lucta quam Iacob habuit cum angelo, fuerit spiritualis, an corporalis? S. Hieronymus (*ubi supra*), et Glossa interlinearis, dicunt fuisse luctam spiritualem. S.Thomas, et Rupertus dicunt fuisse imaginariam. Reliqui Patres dicunt fuisse veram et corporalem luctam. — His praelibatis, posito quod angelus luctans cum Iacob fuerit diabolus (cui opinioni tamen nos non subscribimus); hic, cum videret proximam adventuram esse auroram, idest Deiparam aurorae comparatam, dixit pertimescens: *Dimitte me; iam enim ascendit aurora.*—Igitur quando per tentationes diabolus luctatur nobiscum, Mariam *quae progreditur quasi aurora consurgens*, invocemus; et protinus diabolus aufugiet, et dimittet nos; inimicitiae enim ab initio mundi positae sunt inter ipsum, et hanc *mulierem.*

2. Quemadmodum fures tempore noctis facilius latrociniis operam dant: sed adveniente aurora, fugiunt et abscondunt se, ne in manus incidant militum et custodum civitatis; ita daemon, qui semper circuit quaerens quem furetur, et mactet, et perdat, cum appropinquare videt auroram, idest Mariam, fugit, et abscondit se in infernali barathro. Merito igitur huiusmodi daemoniacis furibus aptari possunt verba illa Iob (*cap.*24.*v.* 17): *Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis; et sic in tenebris, quasi in luce ambulant.*

3. Adveniente mystica aurora, idest Maria, desiit nox veteris legis, et dies splendidus gratiae incoepit. — Ehu! quantum exoptata fuit haec aurora a veteribus Patribus! Omnes Patriarchae ardentissime cognoscere desiderantes, quot transactae fuissent horae illius tenebrosae noctis, visi sunt exclamare cum Isaia (*cap.*

21. *v.* 11): *Custos, quid de nocte?* Verum tandem: *Dixit custos: Venit mane*, idest appropinquavit *crepusculum aurorae* (*uti explicat Tirin. hunc loc.*): iam mundo apparuit Deipara: non longe abest Sol aeternae iustitiae, qui hanc auroram sequetur.

4. Congruit beatissimae Virgini auroram vocari in suo ortu: nam sicut infirmi febricitantes, adveniente aurora melius se habent, quia tunc febris fervor languescit et minuitur; ad eumdem modum infirmus mundus gravi peccati morbo febricitans, tempore ortus huius aurorae, melius quam unquam, se habere coepit.

5. In libro de proprietate rerum habetur, quod in ortu aurorae flores prius clausi aperiuntur; herbae, quae aestu praecedente marcescere coeperunt, aurora surgente eriguntur: in aurora conchae marinae, uti superius innuimus, aperiuntur, et per roris stillas margaritas concipiunt: vires animales in aurora confortantur: aegritudines aurora surgente alleviantur et minuuntur: in aurora somnus dulcior etc. Idcirco aurora interpretatur quasi *aurea hora;* ad differentiam horarum noctis, quae sunt quasi ferreae.—Omnia haec mirifice aptari possunt Deiparae, quae est mystica aurora: Ipsa enim est, quae flores clausos, idest mentes humilium aperit ad bene agendum, ut odorem boni exempli et virtutum undique circumfundant: ipsa depressos et contabescentes animos erigit per spiritus consolationem: per ipsam in conchas cordis nostri descendit ros divinae gratiae, per quem candidae margaritae virtutum concipiuntur: hac aurora adveniente, infirmi et debiles convalidantur et sanantur: et denique si in aurora somnus dulcior esse solet; cum Deus, opitulante Maria, *dederit dilectis suis somnum, ecce haereditas Domini, filii merces fructus ventris* (*Psal.* 126).

6. Adhaec aurora interpretatur etiam *avium hora;* aves enim, quae in nocte tacent, aurora apparente laetificantur, et ad cantandum excitantur, atque e nidis egredientes, per aereas regiones avolare incipiunt. O, quam bene ista omnia producuntur a mystica nostra aurora, Deipara! devotae enim mentes, et cordis affectus, qui in nocte desolationis, veluti quieverunt, ipsa fulgente, in altum per contemplationem, et per divini amoris iacula volantes, sursum corda erigunt.

7. Aurora, de qua loquimur, attulit mundo 1. decorem 2. dulcedinem 3. fructificationem — 1. decorem. Re quidem vera tradit auctor libri de proprietate rerum, uti iam innuimus, quod in aurora conchae marinae se aperiunt, et rorem suscipientes margaritas concipiunt, quae postea in ornamentis ad decorem ponuntur. Similiter animae devotae, dum isti aurorae, idest Virgini, per affectum devotionis et amoris se aperiunt, rorem gratiae supernae concipiunt, quae sunt animae ornamenta pretiosissima.

8. Dulcedinem —Ad memoriam revocare iuvat quod sacra narrat historia (*Exod.* 16), nempe quod manna in deserto descendebat in aurora: eratque dulcissimum et suave ad modum mellis, et omne delectamentum in se habebat. Pari etiam modo Maria mystica aurora infundit internae dulcedinis gratiam his, qui tribulato sunt corde. *Gustate igitur et videte quoniam suavis.* (*Ps.* 33. *v.* 9).— Si est Filius enim *Dulcis et rectus Dominus* (*Ps.* 24. *v.*8); nonne etiam eius Mater, velut manna in aurora descendens, *dulcis* esse debuit?

9. Fructificationem—Ros enim in aurora decidens plantas fructificare facit. Ita etiam Maria suis exemplis et intercessione fructificare nos facit in bonis operibus: unde ipsa Virgo dicere potest illud: *Ego quasi ros — Israel germinabit quasi lilium* (*Osee cap.* 14).

10. Adhaec homo per peccatum factus est valde timidus, et illud Psalmistae (*Psalm.* 54) usurpare potest: *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebrae.* Sic Cain post fratricidium exterritus, prae pavore exclamavit (*Genes. cap.* 4. *v.* 14): *Omnis qui invenerit me, occidet me.* Timet peccator divinam iustitiam; timet doemones; timet coelum; timet terram; et etiam si arborum frondes a vento agitentur, ipse timet: nec immerito. At quemadmodum qui, vel ob vera pericula, vel etiam ob phantasmata et apprehensiones in nocte timet, surgente aurora, confortatur: sic peccatores, qui in nocte culpae et iniquitatis pertimescunt, surgente mystica aurora, nempe patrocinio Deiparae, erecto corde esse possunt.

11. Ad extremum culpae nobis non vertatur, si aliquod Ægypti ornamentum, ad tabernaculi decorem adhibeamus.— Poetae fingunt (*Verder. lib. de imag.*), auroram equitare super Pegasum equum, qui propter alas, quibus praeditus erat, non currebat, sed volabat. — Id quantum conveniat mysticae nostrae aurorae, Deiparae, quae volavit in natura, in gratia, et in gloria supra omnes angelos et homines; quaeque volat velocissime ad opitulandum omnibus suum patrocinium implorantibus, nemo est qui non videat. — Insuper Ovidius finxit, quod cum sol suo proximus est ortui, aurora coeli fores aperit. — Hoc certe proprium munus fuit nostrae *Aurorae*, idest Deiparae, eo quod ipsa ianuas aperuit per suos purissimos affectus, ut Christus Sol aeternae iustitiae in mundum prodiret: ipsa etiam aurora est, quae coeli portas aperit, ut nos cum Sole aeternae iustitiae, post particulare iudicium, ingredi possimus in illam aeternam requiem, ubi ipsam dulcissimam Deiparam, pulcherrimam auroram cum gaudio aspicere non cessabimus per cuncta saeculorum saecula.